

Tunc jussit illum iterum erui, dicens: « Surge, et si vere mortuus es, obedi tu Prælati ad nutum. » Sicut homo mortuus in nullo potuit repugnare. *Biblioth. paup.*, lit. *O de observ. præcepti Dei.*

UTILITAS. — Theopompus interrogatus, quæ disciplina potissimum exerceretur Spartæ? peritia, inquit, jubendi, et obediendi. Cumque aliquis diceret, omnem Spartanorum salutem in eo consistere, quod Reges ad imperandum haberent, non sola hæc causa est, inquit, sed quod cives obedire norint. *DREXEL.*, in *Rosis*, p. II, c. XIII, § 3.

Dixit S. Syncretica: Ideo in congregatione cuilibet conversanti magis obedientiam, quam continentiam proponimus, quoniam continentiam arrogantiam habet, obedientia autem humilitatem congruam pollicetur. *Vit. PP.*, l. XV, de *Observ.*

B. Gertrudis de Antistitis suæ asperitate conquesta apud Deum, desistere jussa est, eo quod sibi, et Antistiti maxime consulere. Eidem pro defectu cujusdam personæ oranti dixit apparens Deus: Ejus ex abundantia pietatis dulcedinis, et dilectionis mee divinæ, qua congregationem hanc elegi, permitto inhaerere aliquos defectus etiam illis, qui præsent, ut inde meritum congregationis augeatur. Nam multo majoris virtutis est subijci ei, cujus defectus cognoscitur, quam alteri, cujus opera per omnia probata videntur. Ego sino Superiores habere aliquos defectus, et ex diversitate curarum quandoque maculari, ut magis humiliantur. Subditorum meritum crescit tam ex defectibus, quam profectibus earum, quæ præsent, et similiter meritum illarum, quæ bene præsent, crescit tam ex profectibus, quam ex defectibus subditorum. *RODRIG.*, p. III, tr. 5, cap. VIII.

B. Catharina Bononiensis dicebat: « Obedientia magis sine dubio est meritoria, quam ulla penitentia, quæ fieri potest. » Si enim Abraham fuit justificatus, et tantopere placuit, quia Deo solum obedivit, quanto magis justificabitur creatura, quæ pro amore Dei se submittit ad obedientiam servo ipsius Dei? Eadem dicit: « Quis dubitare potest de sua salute, si vitam finiat in obedientia, quæ suo Domino similiorum facit, quam ulla alia virtus? » Itaque qui vult erigere bonum ædificium, accipiat illam pro suo fundamento, et credat firmiter, se melius salvandum per illam, quam per ullam penitentiam, jejuni-um, et quamvis contemplationem.

S. Philippus Nerius dicebat, Sanctitatem in tribus digitis sitam esse, quod pronuncians frontem tangebatur, addebatque totum esse situm in abnegatione rationalis facultatis. *LANCIZ.*, op. 8, fol. 639.

Testatur Climacus, vidisse se in quodam monasterio senes canitie, orisque habitu venerabiles, instar puerorum agiles, et ad minimum Superioris nutum promptissimos, quorum nonnulli totos quinquaginta annos sub obedientiæ signis meruissent. Eisdem rogatus, equid solatii, aut quod præmium tam diuturnæ obedientiæ tulissent? alios respondisse, se ad ipsum humilitatis fundum descendisse, ubi jam extra inimici tela securi agerent; alios id se commodi consecutos, ut jam quaslibet injurias, ignominiasque riderent. *De Obed.*

Joannes Avila, Jacobo Gusmano, et Caspary Loarti inter reliqua monita etiam hoc dabat: Nihil commoveat vos qua tandem in re opera vestra adhibeatur. Etenim cum ex conservatione, et incrementis hujus familiæ (Societatis) magnopere pendeat utilitas animarum, quidquid ei conservandæ ac promovendæ conducit, vel ipsum lanes, patinasque purgare, id demum est animas convertere, et summa voluntate est peragendum. Cogitatione igitur a propriis ac ceteris abducta operibus id curate dumtaxat, ut pareatis, quodque vobis præcipitur, non tam propter ipsam rem agatis, quam quia præcipitur, permagni æstimantes, quod ejus corporis membra vobis Deus det esse, in quo sua Majestatis obsequium exhibeatur.

Abbas Ypericus dicere solebat, quia ministerium Monachi est obedientia, quam qui possidet, quidquid poposcerit, a Deo impetrabit, et cum fiducia Christo adstabit. Etenim Dominus sic venit ad crucem, factus scilicet obediens usque ad mortem. *Vit. PP.*, l. XV, de *Obedien.*

DIGNITAS. — Quidam Frater requisivit senem: « Quid faciam Pater, quoniam nulla opera Monachi facio; sed in negligentia constitutus comedo, et bibo, et dormio, et de hora in horam transgredior; de cogitatione in cogitationem, et propterea contristor, et deficio? cui senex ait: « Tu sede in cella tua, et fac, quod potes, sine perturbatione animi, et confide in Deum; quia qui sedit in cella propter Deum, invenitur in loco illo, ubi est Abbas Antonius. » *IBID.*, de *Patient et Hum.*

JUCUNDITAS. — S. Catharina Senensis di-

cebat, Religionem esse veluti naviculam securam pro recipiendis animabus, quæ currere volunt ad perfectionem, ut eas tutissime ducat ad portum Salutis æternæ. *Dialog.*, cap. CLVIII.

Eidem alibi Christus dixit: « Verus obediens non obligatur mihi reddere rationem de se, sed solummodo Prælatum, cui obediit. » *C. CLXIII.*

S. Bernardus dicebat, subditos transire copiosum hujusmodi fluvium, non pedibus vadentes, sicut sæculares, qui ob voluntatem propriam submersionis periculo sunt expositi; neque navi, sicut Prælati, qui cum majori laxitate per quæcumque fluminis partem trajiciunt, sed trajiciunt per pontem, quæ via plana est, et secuta, custodientes suas regulas et obediens suis Superioribus. *LUD. DE PONT.*, t. III, tr. VI, c. XII.

Tempore Simonis (qui idem significat ac obediens) dicitur terra Juda quiescere omnibus diebus ejus; idem sperare potest, quisquis obedientiæ sincere studuerit.

AXIOMATA.

Felicitatis mater obedientia est.
Obediens loquetur victorias.

AUCTORES

- Alphonsus Rodriguez, p. III, tr. v.
Theophilus Bernardinus, de *Perseverantia*, l. XI et l. II, c. XII.
Bernardinus Rosignolius, de *Disciplina Christ. perf.*, l. IV, c. XXIV.
Jeremias Drexelius, in *Rosis Marianis*, p. II, c. XIII.
Ludovicus de Ponte, t. III, tr. VI, c. XI, et seq.
Eusebius Nierembergius, l. V, *doct. Asc.* XLVII, et seqq., doct. 8.
Franciscus Arias, de *Imit. Christi*, t. III, tr. III.
Jacobus Alvarez, t. II, l. V, p. III.
Nicolaus Lancizius, t. I, opusc. 2, cap. VIII, et opusc. v, cap. II.
Dorotheus, serm. 1.
Joannes Busæus in *Viridario*, V. *Obedientia*.
Hugo Rott., p. I, cap. VII, v, IV, et p. II,

cap. XIX, et serm. IV et p. V, cap. XXVII, serm. 2.

Lucas Pinellus, l. II, de *Perf.*, a c. XX, usque ad fin.

Joseph. Mans., *Biblioth. moralis*, t. LIV.

OCULORUM CUSTODIA.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est virtus, qua oculos ab omni aspectu non necessario propter Deum continentem. Ex qua definitione patet, eam ad mortificationem velut speciem partialem pertinere.

Divisio. — Dividi potest in custodiam « necessariam et spontaneam: » Prior est, qua oculos ab aspectu illicito, seu divina lege prohibito cohibemus: posterior est, qua eosdem a licitorum objectorum intuitionem continentem.

ACTUS. — « Oculos cohibere ab aspectu partium corporis, quas pudor vetat, in quovis sexu et etate. » Spectare enim, si quid hujusmodi fortuito accidit, quanti horris est? quod ergo in aliis displicet, numquid in seipso placere potest? inquit recte S. Ambrosius. Ideo Demetrius Phalerius monebat inter alia adolescentem, ut in solitudine seipsum revererentur, juxta quemadmodum P. Balthassar Alvarez et Societas Jesu faciebant, qui valde cautus erat, ne inter surgendum aut vestes exuendas illam corporis partem nudam aspiceret. S. AMBR., ap. LANCIZ., opus. 2, cap. IV, n. 93.

« Tempore orationis, aut aliarum functionum spiritualium ab omni non necessario aspectu oculos continere; » certe Eusebius ob unicum oculorum in operariis proximo in agro laborantes sub auditione legis Evangelicæ factam emissionem, ita se punivit, ut per quadraginta, quibus supervixit, annos, nec in cœlum, nec astra oculos attolleret, sed semper injecto in collum collari ferreo inclinatus incederet. THEODOR., in *Hist. Sacra*, in Eus., IV.

« Ab omni feminarum aspectu sedulo abstinere, » juxta monitum Sapientis: Virginitatem ne aspicias, ne forte scandalizeris in decore illius, *ECL.*, IX, vers. 5; nam facies

mulieris, teste B. Macario, sagitta est trunculenta, vulnus infligens in animam. S. MACAR., in *ep. ad Monast.* Et, ut S. Chrysostomus ait, animum ferit et commovet non impudicæ tantum, sed pudicæ quoque mulieris oculus. Imo S. Augustinus dicere ausus est, Basilisci aspectum tolerabiliorem esse cantu et aspectu feminae, eo quod ille suo aspectu corpus, hæc vero animam occidat. S. CHRYS., lib. VI, de *Sacerd.*, cap. VIII.

« Etiam a puerorum formosiorum aspectu sese studiosè cohibere; » nam aspectus formosorum, teste S. Prospero, est adeo potens, ut ferrum virtutumque emolliat. S. PROSP., lib. II, de *Promiss.*, cap. XII. Et ut S. Hieronymus ait, semel species formæ cordi per oculos alligata, vix magni lutaminis manu solvitur. S. HIER., in cap. III, *Thren.* Hinc B. Virgo S. Birgittæ dixit, inter res detestandas etiam hoc esse, si quis concupiscat videre facies pulchras; quia videlicet, ut S. Basilus dixit, oculi sunt incorporeæ manns. Hinc etiam B. Isaac Syrus dicebat, a fiducia juvenum, et allocatione, sicut ab amicitia diaboli abstinendum. Certe non frustra cupidines pinguntur sagittarii, quia nimirum pulchri etiam a longinquo vulnerant, ut Socrates testatur, quod usque adeo verum esse censuit Aristoteles, ut quæsitus, cur pulchri homines amarentur, stultam hanc esse questionem responderit.

« A splendido et ornato vestitu oculos avertere: » nam, ut Tertullianus ait, in omni spectaculo nullum majus scandalum occurrit, quam ille ipse virorum, et mulierum accuratior cultus; quem proin merito alibi, fictam et elaboratam libidinem vocat. TERTULL., de *Spect.*, c. XXV.

« Ab imaginibus nudis, vel lectione librorum non satis honestorum oculos cohibere; » nam, etsi fieri possit, ut, qui videt talia, fortiter se gerat; verumtamen ne cadat, cavendum est: fieri enim potest, qui viderit, concupiscat, inquit recte S. Clemens Alexandrinus. S. CLEM., I. III, *Pæda*, c. XXI.

« Etiam ab aliis objectis non necessariis oculosvertere: » cum præpositi tui seu Magistri, vel amici cujusdam cellam ingrederis, cave, ne quicquam eorum, quæ ibi fuerint, curiose scrutaris, aut intuearis. Quicumque enim impudenter, et curiose in his se gesserit, habitum, et professionem monasticam mentitur, et Christum, qui eam instituit. Hinc et ipsa B. Virgo Fratri

Alphonso Rodriguez Soc. Jesu hæc tria monita dedit: « Quando incedis per viam, non attollas magis oculos, quam sit necesse ad videndum ubi pedes figas: ad neutrum latus convertas oculos: nec caput attollas, sicut hodie fecisti, quando vidisti mulierem. Lib. I, VII., cap. XXXVIII.

« Comœdias, saltus, larvas, taurorum certamina, et similia, nisi admodum pia sint, ultro vitare: » nam S. Aug. inter peccata, et occasiones eorum numerat spectaculorum frequentiam. Sed et Romani olim, cum inviolata etiamnum staret morum integritas, theatrum a Cornelio Nasica extructum everti curarunt, existimantes indignam esse perpetuo ædificio spectaculorum vanitatem. In *Psal.* CXIX. VOLATERR., I. XX.

EX SCRIPTURA.

QUALITAS. — Averte oculos meos ne videant vanitatem. Ps. CXVIII, 37.

Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitare quidem de virgine. Job., XXXI, 4.

Unusquisque offensiones oculorum abjiciet, et in dolis Egypti nolite pollui. Exod., XX, 7.

Oculi tui recta videant, et palpebræ tuæ præcedant gressus tuos. Prov., IV, 25.

Averte faciem tuam a muliere compta, et ne circumspecias speciem alienam. Propter speciem mulieris multi perierunt: et ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit. Eccl., IX, 8.

NECESSITAS. — Nequius oculo quid creatum est? Eccl., XXXI, 16.

Oculus meus depredatus est animam meam. Thren., III, 51.

Qui annuit oculo, dabit dolorem. Prov., X, 20.

Ne respicias mulierem multivolam, ne incidas in laqueos illius. Virgineum ne concipias, ne scandalizeris in decore illius. Eccl., IX, 8.

Infernus, et perditio nunquam implentur: similiter et oculi hominum insatiabiles. Prov., XXVII, 20.

UTILITAS. — Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, et projice abs te: expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum eat in gehennam. MATTH., VI, 22.

Si oculus tuus fuerit simplex, totum cor-

pus tuum lucidum erit. MATTH., VI, v. 42. DIGNITAS. — Qui claudit oculos suos, non videant malum, iste in excelsis habitabit. Regem in decore suo videbunt oculi ejus. Is., XXIII, 43.

EX SS. PATRIBUS, ET DOCTORIBUS.

QUALITAS. — Non est reprehendus aspectus oculorum, sed voluntatis negligentia, et efrænata concupiscentia. Nam oculus propterea factus est, ut dum videt creaturas Dei, ipsorum conditor glorificetur, Itaque oculis opus est videre; male autem videre a mente est, quæ intrinsecus gubernat. S. CHRYS., hom. XXII, in *Genes.*

Oculorum acies non ad omnia passim visibilia pandenda est, ne omnem quoque figuram atque formarum speciem sine examine hauriens ad earum postea turbetur imagines. L., de *Vera virg.*

Si locum, causam, et tempus considerans, tua vel fratris necessitate oculos levas, non solum non culpo, sed plurimum laudo, hoc enim excusat miseria, illud commendat misericordia. Sin alias, non Prophetæ, non Domini, sed Dinae, vel Evæ, immo ipsius Satanae te imitorem dixerim.

Bruta spectant, ad quæ nata sunt. Ad pastum genita sunt pecora, itaque pronam deorsumque vergentem formam habent, ut ventrem, et quæ ventri subjecta sunt, videant. Homo vero non ventrem respicit, sed superiora contuetur, caput illi sublime est, ut genus celeste suscipiat. Oculi non tendunt in terram, quocirca non vim inferas nature tuæ. Terrena ne spectes, sed celestia, ubi Christus est. Sic formatus es, et forma tua te monet, ad quem natus sis finem. Genitus es, ut Deum videas, et contempleris, non ut humi dejecta serpat vita tua: idcirco sapientis oculi in capite sunt ipsius. Cur autem non ad caput, sed in capite, nempe ut quæ excoelsa sunt et sublimia intueantur, et spectentur. Qui autem ea non aspiciet, sed terrena, is oculos humi defixos, ac sepultos habet. S. GREG. NYSSENUS, *Orat.* 2.

Natura collocavit oculos in summo capite nostro, per quod nobis significatur, quod eos figere debemus in Christo capite nostro. Juxta illud Ps. « Oculi mei semper ad Dominum: » et quod naturam divinam in

cælo contemplari debemus, ut ad eam semper dirigamus oculos interiores intentionum nostrarum, et affectionum nostrarum, ut B. Martinus faciebat, qui oculis ac manibus in cælum semper erat intentus. Et B. Stephanus, qui intendens in cælum, vidit gloriam Dei *Act. Apostol.*, VII, et Beatus Joannes, qui per aquilam figuratur, qui intuitus est solem in rota, idest Deum in sua Deitate. BELLOV., *Spec. mor.*, I. III, dist. 5.

Oculos tuos, rogo, ut tantum aspiciant recta, idest, coram, sive ante te, ad hoc ut pedes et gressus, nec ubi offendat, vel erret; ad hoc enim dati sunt oculi, ut viam prælustrent, per quamque dirigant iter totius corporis, quare ulterius non sunt jacendi. CORNEL. A LAP., c. IV, *Prov.*

Perfectæ ac sincerissimæ sanctitatis volens cultores suos, facere Salvator, jussit ab his castissime etiam minima vitari, ut quam pura est pupilla oculi, tam pura sit Christiani hominis vita; et sicut salva intuitus inculumitate, pulveris labem in se oculus non reciperet; sic vita nostra labem in se penitus impudicitiae non haberet. SALVIAN., ap. MANSI., tract., LVI, *disc.* v, n. 8.

Audientes salubriter in casu fortis, metuitur infirmitatem suam, et quod damnat Deus, evitare cupientes, ab aspectu securo abstinent oculos. Non eos defigunt in pulchritudine carnis alienæ, nec se ipsos faciunt de perversa simplicitate securos. Proponunt sibi casum David, et ad hoc illum magnum videt occidisse, ut parvi nolint videre, unde possint cadere: reprimunt enim oculos a petulantia, non se facile adjungunt, non miscentes se mulieribus alienis, non levant oculos faciles ad aliena monia, ad aliena solaria. De longe enim vidit David illam, in qua captus est. Mulier longe, libido prope; alibi erat, quod videret; in illo unde caderet. S. AUGUST., in *Ps. L.*

Oro te, sive mater, sive soror, sive filia virgo, secundum annorum nomina dixerim, vela caput, si mater, propter filios, si soror, propter fratres, si filia, propter patres; omnes in te ætates periclitantur. Indue armaturam pudoris, circumdum vallum verecundiæ, murum sexui tuo strue, qui nec tuos emittat oculos, nec admittat alienos.

Quamvis homo in fronte duos habeat oculos, tamen ab uno eos officio jungere non valet, ut altero cælum, altero terram

contueatur; coangustatum est pallium, utrumque operire, imo utrumque operari non valet; sic nisi clausero, ne dicam, nisi ornero oculum, qui me scandalizat, revelata facie gloriam Domini non contemplantur. PETRUS CELTENSIS, l. I, ep. II.

NECESSITAS. — Non igitur vaga oculorum acies ad omnia passim respicienda visibilia, pandenda est, ne omnem quoque figuram, atque figurarum speciem sine discretionis examine hauriens, ad earum postea turbetur imagines. S. BASIL., de Virg.

Hæc tria instrumenta sunt excolendis virtutibus, ac celestis puritati perquam accomodata; temperantia ventris, moderatio linguæ, et oculorum frænum. Si ergo duo servaveris, oculos vero non custodiveris, sed distrahantur, firmam castitatem tenere nequis; quemadmodum enim aqueductus contractus perdit aquas, ita et oculorum distractio mentem castam destruxit. S. EPHR., de Humil.

Nulla in vobis concupiscentia oculorum cuiussumque viri, diabolo instigante, consurgat. Nec dicatis, vos animos habere pudicos, si oculos impudicos habeatis, quia impudicus oculus, impudici cordis est nunciatus. Nec putare debet, quæ in virum non simpliciter convertit aspectum, ab aliis se non videri, cum hæc facit. Videtur omnino, a quibus se videri non arbitratur. Sed ecce lateat, ut a nemine hominum videatur, quid facit de illo Superinspectore, quem omnino latere non potest? BOLAN., 12, JANSEN., in Reg. S. Cesarea vir.

Oculi vestri, etsi jaciuntur in aliquam fœminarum, figantur in nulla, neque enim quando proceditis, fœminas videre prohibemini, sed appetere, aut ab ipsis appeti velle, criminis est. Nec solo tactu et affectu sed aspectu quoque appetitur, et appetit concupiscentia fœminarum. Nec dicatis vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudicos, quia impudicus oculus impudici cordis est nunciatus; et cum se invicem sibi met, etiam tacente lingua, conspectu mutuo corda nunciant impudica, et secundum concupiscentiam carnis alterutro delectantur ardore, etiam intactis ab immunda violatione corporibus, fugit castitas ipsa de moribus. Nec putare debet, qui in fœminam figit oculum, et ipsius in se ipse dirigit fixum, ab aliis se non videri, dum hoc fecerit; videtur omnino, et a quibus se videri non arbitratur. S. AUG., in Reg.

Neque enim Eva lignum velitum contigisset, nisi hoc incaute respiceret, scriptum quippe est: « Vidit mulier etc. » Hinc ergo pensandum est quanto debemus moderate erga illicita visum restringere nos, qui moraliter vivimus, si et mater viventium per oculos ad mortem venit. Hinc etiam modo sub Evæ voce, quæ exteriora videndo concupiscens, bona interiora perdidit, Propheta dicit: « Oculus meus deprædatus est animam meam; » concupiscendo enim visibilia, invisibiles virtutes amisit. Quæ ergo interiori fructum per exteriori visum perdidit, per oculum corporis pertulit prædam cordis. MANSI., tr. LVI, dis. XIV, n. 2.

Averte oculos meos (quia ipsi me avolare fecerunt: vel ut ex Hebræo legitur: quia ipsi abstulerunt robur meum, quia ipsi me superaverunt) id est, cor. Hoc petit propter multas causas, quæ tales possunt assignari. Prima est, quia ex aspectu vanitatis provocatur concupiscentia, Secunda, quia ex hoc imprimatur turpis machinatio. Tertia, quia ex hoc generatur prava cogitatio: PROVERB., XXIII. « Oculibus videbitur extraneas, et cor tuum loquetur perversa. » Quarta, quia ex hoc dilaceratur cor, et deprædatur, THEREN., III. « Oculus meus deprædatus est animam meam. » Quinta, quia ex hoc sensus, et ratio amittitur. DAN. IV. « Levavi oculos meos in cælum, sensus meus red-ditus est mihi; » ergo a contrariis, qui ad vanitates inferiores respicit, amittit sensum. Unde bene dicitur in Ps. XXXIX. « Et non respexit in vanitates, et in insanias falsas. » Sexta est, quia ex hoc nascitur abortivum, id est, bonum propositum extinguitur. Sicut ad litteram contingit, quod, cum mulieres prægnantes aliquid vident, et concupiscunt, si non possint habere faciunt abortivum; sic qui videt vanitates, aliquando perdidit bonum propositum MAT., XLII. « Væ prægnantibus etc. » Septima, quia ex hoc propositum malum concipitur. GEN., III. « Ad aspectum virgarum ex parte deortictarum oves, etc. » HUGO CARDIN., ap. MANSI, dis. XII, n. 2.

Est sane iniquum, et indignum, præterquam quod ad vitium per oculos vehitur, virginem, quam manu contrectare non audent, eam jactu oculorum indifferenter attingere. Quæ igitur non evitabit luminum jactum, quantum in se est, ne manus quidem tactum vitabit; sicut enim cum ignem

tangimus, ignis indicia per impressas nobis adustiones excipimus, ita impossibile est, eum, quem ignis amoris attigerit, ejusmodi tactum innocuum, involatamque perferre. S. BASIL., l. de Virg.

Quisquis per has corporis fenestras incaute exteriori respicit, plerumque in delectatione peccati, etiam nolens cadit, atque obligatus desideriis incipit velle, quod nolebat. Princeps quippe anima, dum ante non providet, ne incaute videat, quod concupiscat, cæca post incipit desiderare, quod videt. S. GREG., l. XXI, Moral., c. II.

Non generaliter Christus, dum dixit: Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, etc., concupiscentiam interimit, sed illam, quæ ex formæ decore concipitur; qui enim studet elegantes facies aspicere, ipse præcipue fornacem sibi istius passionis accendit, et captivam faciens animam, ad opus quoque celeriter adducit. S. CHRYS., h. XVII, Matth.

Omne peccatum ex quodam maligno visu oritur, unde superbia non est aliud, quam se cernere per conspicienda, quæ rem spectatam majorem reddunt, quam sit in se ipsa. Avaritia etiam creaturas adhibitis specillis, tamquam prestiosiores res, quam sint, respicit, sicut et invidia, quæ cruciat visa magnitudine alterius; luxuria et ira quæ lumen rationis perturbantob insitum affectum. Rursum per contrarium omne bonum nostrum, immo et Angelorum in bona, et recta visione consistit, ut ita videndo vitam habeant, et abundantius habeant. SAL. t. VI, tr. XLVI.

Magna est vis oculorum, ad cor, et mentem vulnerandum. Species enim visa per oculos transit ad cor, et mentem illique odium imprimunt, quæ species hæret in corde, etiam postquam res visa abierit. CORNEL. A LAPID., in Eccl.

O quantis concupiscentiarum sagittis ex inordinato oculorum aspectu imprudentis transigitur cor! Transmittunt utique effrenati intuitus ad animam corporearum formarum rerum atque concupiscibilium qualitatum imagines, suaque importunitate internam dividunt unitatem, sanctos dissipant cogitatus, animi vigorem debilitant, tepescunt charitatem, compunctionem minuunt, devotionem fœdant, pacis tranquillitatem turbant, et terreni pulveris insuffla-

tione rationalem caligant obtutum. S. LAUR., JUST., c. VII, de Vit. solitar.

Gravis ac vehemens est proditor oculus vagus, atque distractus. Nam ceteræ aspectiones, atque perturbationes animi recentem habent tentationis ardorem. Bellum autem oculorum, et præsens, et absens dolore affligit animam, prava concupiscentia inflammans mentem. Ex. gr. audivit quis suavem musicorum concentum, et præterit; postea luctus vocem audivit, et planctus, dulcem musicorum concentum depulit. Similiter gustavit quis mel, postea vero aliquid etiam degustavit, acerbissimarum specierum, et acerbitas dulcedinem mellis ex gutture rejecit. Idem odoratus est quis savissimum aliquid; deinde malum aliquem offerit odorem, et gravis odor suavitatem odoratus extinxit. Et rursum tetigit quis aquam frigidam, et postea ebullientem attigit, et fervor calidæ frigiditatem aquæ repressit. Cæterum vagi atque distracti oculi bellum, et præsentem, et absente materia comburit mentem per concupiscentiam. Quin etiam in somnis corda simplicium imaginationibus illudit. Nam demones tentationem in mentem atque cogitationem inducunt, in animo describunt eformantes tentationem in oculis hominis, pro quo, et Propheta obsecrans, dixit: « Averte oculos meos, ne videant vanitatem. » S. EPHR., Paræm. 37.

Etsi corpus ab immunda violatione non tangitur, ipsa tamen immunda violatio visu, affectu, cogitatione, delectatione perpetratur; visus inordinatus parit malam cogitationem, cogitatio delectationem, delectatio consensum, consensus operationem, operatio consuetudinem, consuetudo necessitatem, et ita paulatim sic corrumpitur anima, ut jam dicat, se non posse a peccato abstinere. HUGO DE S. VICTOR., ap. MANSI, disp. XIX, n. 5.

Quis oculorum, sine prohibitione vane, et curiose concupiscentium, valet humano sermone narrare concupiscentias, quas hauriunt ab exterioribus, et lethaliter transmittunt ad cor? quis tanta pollet providentia, et tantæ custodiæ sui munus sit clypeo, ut a telis concupiscentiarum oculorum liber existat? ab ipsis enim dominandi amor, indumentorum fastus, morum elatio, divitiarum cupiditas, domorum agrorumque, et habendi inordinatus procreatur affectus, adulteria, fornicationes, furta, homicidia, vitæ hujus illecebrosus amor, et quamplurima

alia vitiorum genera ab his fomentum accipiunt. S. LAUR. JUSTIN., *de dis.*

Oculi est videre, male autem videre a mente est. Postquam autem hæc negligens esse, et habenas laxare cœperit, quemadmodum auriga nesciens indomitum equorum ferociam compescere, et equos curram trahentes, et se ipsum in præcepis ire facit, sic et voluntas nostra. S. CHRYS., hom. XXII, in *Genes.*

Quam facile potest in puncto corporis evagari velocitas oculi, tam sollicito præcavenda est irruentis noxa delicti. S. BUSEE. EMUSSEN., hom. IV.

Prima adulterii tela sunt oculorum, secunda verborum. S. AUG. S. LXXXIII, *de Temp.*

Illecebrosa visus transeuntis affectio. S. AMBR., in *Matt.*, cap. IV.

Ex inordinato oculorum aspectu imprudentis transfigitur cor. Transmittunt utique effrenati intuitus ad animam corporearum formas rerum, atque concupiscibilium qualitates imaginum, suaque importunitate internam divinitum unitatem, sanctos dissipant cogitatus, animi rigorem debilitant. S. LAUR., JUST., c. VII, *de Vita solit.*

Ejusdem libidinis est, videre et videri. Tam sancti viri est suffundi, si virginem viderint, quam sanctæ virginis, si a viro visa sit. TERTULL., ap. *Lanciz.*, op. II, n. 276.

Deprimendi sunt oculi quasi raptiores ad culpam. Quisquis enim per has corporis fenestras incaute exterius respicit, plerumque in delectationem peccati etiam nolens cadit, atque obligatus, desideria incipit velle, quod noluit. S. GREG., I. LXXI, *Mor.*, cap. II.

Versatilibus, et tamquam conniventibus oculis intueri, nihil est aliud, quam oculis mœchari. Cum per oculos cupiditas ineat prima pugna præludia. S. CLEM. ALEX., I. III, *Pædag.*

Cum hæustæ luminibus formæ obtutus passivo deflexerint, atque in anima mollitæ ceræ instar voluptate conspectæ speciei imagines presserint, quamvis illæ abeant, seorsumque sit, quæ hujusmodi formas impresserit, insignita animo conspecta species, quod suum est, semper operatur, animamque imaginibus ludit. S. BASIL., in *Instit. Virg.*

Consueve non circumferre oculos ad aliena, et vana; hæc enim deperire faciunt omnes labores monasticos. S. DOROT., doct., XXI, *inter.* II.

Custodiendi sunt oculi, sunt enim principes ad nocendum in sensibus. S. AUGUST., *Confess.*, I. X.

Impudicus oculus impudici cordis est nuntius. IERON.

Non debet intneri, quod non licet concupisci. GREGOR., *Mor.*, XXXI.

DIGNITAS. — Multum verecundia placeat, multum gratiæ conciliat apud Deum. Nonne hæc prætulit Publicanum, et commendavit illum, qui nec oculos audebat ad celum elevare? S. AMBR., I. I, *offic.*, c. XVIII.

JUCUNDITAS. — Pulchra ac bona contemplans oculus cor lætitia afficit, hoc est, qui recte contemplari didicit, lætitia afficitur. CLEMENT. ALEXAND., *Ped.* III.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Quid vis videre, quod non licet habere? Transit mundus, et concupiscentia ejus. Quid potes alibi videre, quod hic non vides? ecce oculum et terra, et omnia elementa, nam ex his omnia sunt facta. L. I, c. XX, § 7.

Quid potes alicubi videre, quod diu potest sub sole permanere: credis te forsitan salvari? sed non poteris perfringere. Si cuncta videres præsentia, quid esset, nisi visio vana? leva oculos tuos ad Deum in excelsis, et ora pro peccatis tuis et negligentis; dimitte vana vanis. *Ibid.*

Quid hic circumpicias, cum isto non sit locus tuæ requietionis? in cœlestibus debet esse habitatio tua, et sicut in transitu cuncta terrena sunt aspicienda. L. II, c. I, § 4.

Utilius est oculo a rebus displicentibus avvertere, et unicuique suum sentire relinquere, quam contentiosis sermonibus deservire. L. III, c. XLIV, § 4.

Fili, noli esse curiosus, nec vacuas gere sollicitudines. Quid hoc vel illud ad te? tu me sequere. Quid enim ad te, utrum ille sit talis vel talis, aut iste sic et sic agit, vel loquitur. L. III, c. XXIV, § 1.

Beati oculi, qui exterioribus clausi, interioribus autem sunt intenti. Lib. III, c. I, § 4.

EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

QUALITAS. — Christus volens benedicere panem subleval oculos, quod, teste Vener.

Beda, ideo tam specialiter Evangelista commemoravit, ut significaret, eum non fuisse solum oculos huc aut illic convertere. JOANN., VI, 5.

De B. Virgine sic scribit S. Vincentius Ferrarius: Depingitur cum majori oculo, quam ore: et quidem sic proprie depingitur, ad innuendum, quod habebat oculum cordis magnum ad cogitandum, et contemplandum, sed os parvum ad pauca loquendum; patet in imagine sua, quam depinxit B. Lucas, quæ est Romæ. Et paulo post subjungit. Semper habebat suos oculos ad terram, cum gestu sanctitatis, oculis demissis ibat, ideo de ipsa dicit Scriptura: Quam pulchra est! oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet. Nota, oculi tui columbarum, non dicit Falconum. In vita S. Francisce Romanæ legitur, quod B. Virgo se illi in extasi existenti in ea specie spectandam præbuerit, qua visa fuit a tribus Regibus Orientalibus, quando hi cum illa de Incarnatione Unigeniti sui ejusque Nativitate ratiocinabantur, viderunt enim illam oculos suos in divinum suum infantem habere defixos, ex qua oculorum modestia sancti illi Reges supra modum manserunt attoniti, et ædificati. Unde prædicta S. Matrona, postquam ab extasi ad se rediit, hæc deduxit consequentiam: Quod si illa, quæ gratia plena, et superplena erat, in præsentia tam illustrium, et nobilium virorum, tantam exhibuit modestiam, et timorem, ut oculos suos a divino conspectu nunquam diverterit quanto igitur magis mulieres fragiles ingenti cum timore stare debent coram viris, cavereque, ne illos aspiciant? Alius quidam auctor de eadem B. Virgine ita scribit: «Numquam oculos elevavit, sicut cæteri homines facere solent, sed semper humi defixos tenuit, nisi Deum oraret.» Adeo inter cæteras perfectiones spiritu prophetia donata est, ut si forte aliquid illicitum visura esset, illico ejus oculi clauderentur. Quando S. Gabriel Archangelus in Annunciatione ad eam ingressus fuit, inquit S. Lucas: «Turbata est in sermone ejus;» idque quia in specie virili apparuit; Et quidem nec tunc oculos ad eum vivendum elevavit. Non enim dicit Evangelista: Turbata est in aspectu, sed in sermone ejus. Unde S. Eucherius ait: Turbata est, non in vultu ejus, sed in sermone ejus, non enim Angelum, sed verbum Angeli attendebat. S. VIN., in s. de *Nat. Dom.*

S. Joannes Baptista, teste S. Hieronymo, sanctam matrem habuit, Pontificisque filius erat, et tamen nec matris affectu, nec patris opibus vinebatur, ut in domo parentum cum periculo viveret castitatis. Vivebat in eremo, et oculis desiderantibus Christum, nihil aliud dignabatur aspicere. Sanctus igitur Joannes Baptista ne quidem oculos suos in S. Elisabetham matrem suam deligere voluit. Idem S. Doctor in eadem epistola ad Rusticum subjungit: Matrem ita vide ne per illam alias videre cogaris, quam vultus cordi tuo hæreat, et tacitum vivat sub pectore vulnus. Ancillas, quæ illi in obsequio sunt, scias esse tibi in insidiis; quia quanto vilior earum conditio, tanto facilius est ruina. S. HIER., ep. IV, ad *Rust.*

S. Cajetanus Thienæ visum suum non solum circa objecta periculosa refrænavit, et mortificavit, verum etiam circa objecta indifferentia, in quibus difficulter offendiculum aliquod solet occurrere. Etenim in ejus vita hæc verba leguntur: Postquam Carolus V, Imperator, Rege et Tyranno Algieriensi devicto, Muleassem in ejus locum ibidem dominantem constituisset, Neapolim adveniens, totius urbis excitavit populum, qui turmatim accurrunt, ut triumphum Casaris spectaret. B. Cajetanus ea occasione usus est, ut de se ipso devicto triumphum ageret: cum enim e fenestra camera suæ pompam illam, ad quam spectandam a multis rogatus, et persuasus fuerat, videre posset, nullo modo ad eam videndam moveri potuit; quin potius ad pedes crucifixi ejusdam illo tempore genuflexus in cœlestium rerum contemplatione perseveravit. Ad hæc auctor vitæ ejusdem servi Dei in capite sequenti, sequentia verba de eo subnectit: Profunda oculorum B. Cajetani mortificatio omnem prorsus superat æstimationem; siquidem hos sibi eo tantum fine servire volebat, ut gradienti ducatum præberent, Sacrificiis, aliisque sacris orationibus peragendis cooperarentur. Immo per urbem gradens adeo erat quoad sensus recollectus, ut corpus ejus nihil aliud vitalitatis, quam motum localem habere videretur. Unde Neapolitana usque in præsentem diem illud natum est proverbium, ut, dum aliquem modestissime in plateis compositum ambulare vident, dicere consueverint: Theatini passu ambulat. *Vit.*, I. II, c. XIII.

Cum S. Francisus in quodam domicilio prope Assisium valde stricto cum fratribus

suis moram traheret, accidit, ut Romæ coronandus Imperator Otto cum magna pompa illac transiret. At vir sanctus cum secus viam maneret, nec ipse, nec aliquis fratrum saltem aspiciere de tugurio voluit, præter unum ex ipsis, cui gloriam huiusmodi modicum duraturam, Imperatori constanter nuntiari præcepit. MANSI, p. Ex. v, *Visus*.

In Vitis Patrum sequens refertur exemplum: Sedente aliquando Abbate Sylvano in monte Sina, volens discipulus ejus abire ad quoddam Monasterium suum, dixit seni: Dimitte aquam, et riga hortum. Ille autem exiens ad dimittendam aquam tegebat faciem suam cucullo suo, tantum ad pedes suos intendens. Contingit autem ipsa hora, ut quidam superveniret ad eum, et videns eum a longe; consideravit, quid faceret, et cum pervenisset ad eum, dixit ei: Dic mihi, Abbas, ut quid tegebas cuculla faciem tuam, et sic adaquabas hortum? et dixit ei senex: « Ne viderent oculi mei arbores, et occiperetur mens mea ab opere suo in consideratione earum. » *Spec. ex. v, ocul. ex. iv.*

P. Hieronymus Monteflorianus Capucienorum Generalis uni tantum celo, liberis campis intuentis oculorum ministerio utebatur, cæterum non feminam, non virum, non puerum, non iumenta, non feras, non artis aut naturæ admiranda, unquam destinato aut fortuito intuitum tradidit; quin cum illa camporum libertate uteretur, sic vidisse, ut nescio quid sublimius ageret, totusque animo in Deum emicaret, ac levissima illa oculorum veluti eventilatione interiores contemplationis flammæ excitaret. In reliquis dubitari poterat, an illum oculorum usum esse homini necessarium arbitraretur, quibus tam raro uteretur. Jo. RHO., l. VII. *Hist.*, c. iv, n. 40.

M. Joannes Avila severissime et ipse imperavit, nulla oculis ne quidem florum intuentiorum data venia; invitanti enim Cordubæ socio, ut amoenissimi, ac floridissimi horti, per quem dejectis luminibus ibat, aspectu frui vellet, posse per eam vernantis naturæ versicolorem hilaritatem, animum in divina subrigere, immotus, ac severitatis propior: hoc mea non interest, nam animo ad divina subvehendo, satis mihi Domini Jesu Christi florent mysteria. MANSI, d. VIII, n. 6.

Admirabilis quoque est continentia S. Petri de Alcantara, de qua sic scribit P. Joannes Rho: In ipsa, quam assiduis incolebat,

oculo, oculos severissime continuit: namque ex materia ne, an ex calce lapidibusque starent parietes, et quæ descriptio esset sacelli, in quod sæpius ad orationem conveniebat, ignoravit; arborem prægrandem in medio impluvio non vidit per quatuor annos. Tres integros annos prope continuo dejectis omnino palpebris clausos oculos habuit. Hanc ille exercitationem adeo homine religioso dignam esse censebat, ut tyrionibus solenne hoc carmen occineret, oculos dejicerent, et si quos in domesticorum circulis minus cecos videret, iis suis ipse digitis oculos, ut defunctis moris est, claudere consueverat. Jo. RHO., l. c. n. 3.

Celebris quoque est castigatio, quam de se ipso in penam cujusdam non maliotiosi, sed indifferentis aspectus sumpsit Eusebius. Sedebat super quamdam petram ipse, et Ammianus ille admirabilis, et divinorum Evangeliorum historiam alter quidem legebat, alter vero eorum, quæ erant obscuriora, explicabat sententiam. Cum autem quidam agricolæ in subjecto campo terram foderet, ad hanc contemplationem Magnus tractus est Eusebius; cum autem divinus Ammianus legisset locum Evangelicum, seiscitaretur autem interpretationem, jussit Eusebius, ut repeteret lectionem. Cum is autem dixisset: « Iis, qui arant, forte delectatus, minime exaudisti, ut est verisimile, suis deinceps oculis legem tulit, ut neque campum illum ultra contemplerentur, neque cœlesti pulchritudine, et chori astrorum aspectu fruenterentur, sed angustissima utens semita, cujus mensuram aiunt fuisse unius palmi, ferente ad oratorium, extra eam deinceps egredi non est passus. Dicunt autem eum plus, quam quadraginta annos vixisse post hanc legem. Ut autem cum animi sui sententia ad hæc quoque eum traheret aliqua necessitas, cum lumbos zona ferrea alligasset, et gravissimum collare collo imposuisset, aliquo alio ferro conjungi zonam collari, quod erat collo impositum, ut hoc modo inclinatus cogereetur assidue in terram respicere. *Vit. PP.*, l. IX.

S. Philippus Nerius, licet in dono virginitalis eximius esset, oculos suos tamen adeo constanter custodivit, ut una ex venustioribus, quæ suo tempore Romæ erant, mulieribus, quæque per triginta annos continuos, suas apud ipsum confessiones sacramentales deposuerat, affirmavit, eundem

S. Philippum toto illo tempore numquam ab ipsa visum fuisse, aut ipsum fixo oculorum obtutu eam fuisse intuitum. *Vita*, l. II, c. xv, n. 3.

In Vitis Patrum legitur, quod Monachus occurrit ancillis Dei in itinere quodam, quibus visis divertit extra viam, cui dixit Abbatissa: Tu, si perfectus Monachus esses, non respiceres nos sic, ut cognosceres, quia feminæ eramus. *Vita PP.*, l. V, Libelli, rv, n. 62.

Ladovici Bloisii modestia tam singulariter emicuit, ut oculorum ac vultus compositione, totoque corporis habitu passim intuentes ad castitatis amorem accenderet; non ignorabat videlicet oculis male custoditis lædi castitatem. Hanc ob causam, cum ante oculos religiosorum virorum mulieres apparere periculosum judicaret, studuit, quantum fas esset, earum conspectum a suis remove. Ea propter, cum antea in horto Conventuali, in quem Monachis certis horis pomeridianis patet accessus, mulieres feno spargendo, cumulando, plaustris imponendo, operam ponerent, cavil in antedictis codicillis, ne deinceps fieret, his verbis: « Herba horti Conventualis ex mea ordinatione demeti, verti, exsiccare, atque in plastro poni, per viros vel juvenes, non autem per mulieres, aut puellas debet, maxime illis horis, quibus fratres spatari possunt in horto, etiamsi pluribus constet, per masculos hoc facere, quam per feminas. Præstat enim parti damnus aliquod in crumena, quam in anima. » BOLLAND., VI. *Len.*, c. XXXIII.

In vita S. Martini Episcopi virgo quædam prædicatur, quæ ita se penitus ab omnium virorum oculis removisset, ut ne ipsum quidem ad se Martinum, cum eam ille officii causa visitare vellet, admiserit. Nam cum prope agellum illius præteriret, in quo se jam ante complures annos pudica cohibebat, audita fide illius atque virtute divertit, ut tam illustris meriti puellam religioso officio Episcopus honoraret. Nos consequenter gavisuram illam virginem putabamus, siquidem hoc in testimonium virtutis suæ esse habituram, ad quam tanti nominis Sacerdos, deposito proposito rigore veniret. Verum illa fortissimi vincula propositi, ne Martini quidem contemplatione laxavit. Ita vir beatus accepta per aliam feminam excusatione laudabili, ex illius foribus, quæ videndam se salutandamque

non dederat, non læsus abscessit. O virginem gloriosam, quæ nec a Martino quidem passa est se videri! Sulpit., l. II, c. xv.

S. Job pepigit foedus cum oculis suis, ut ne cogitaret quidem de virgine. Job, xxxi, 1.

S. Ephrem Edessam tendens, cum Deum precatus esset, ut primo urbis ingressu in virum indiceret, quocum differeret de iis, quæ excolendo animo odessent, sub ipsam portam mulier levicula ei sit obvia, quæ cum fixis oculis Ephremum aspiceret: Non erubescis, inquit, ille, me tam fixe aspiceret? cui mulier: Non erubescio, inquit, nam mihi licere reor te aspiceret, quia ex te, latere que tuo desumpta sum. Tibi vero convenit non feminas, sed terram, matrem tuam, ex qua sumptus es, aspiceret, cum et in illam reversurus sis. Audit Ephrem, et se voti a Deo complotem factum gavisus est. Sozom., l. III. *Hist. Boc.*, c. xvi et *Ser.*, 4. feb.

S. Bernardus ante, quam Religioni se ad dixerat, cum semel feminam fixioribus oculis intuitus fuisset, rigente celo, in gelidissima aquæ stagnum collo tenuis se immergit. Idem toto anno in cella sua habitans, nescivit, an cellæ pavementum ex ligno, an ex alia materia esset. DREX., in *Nicot.*, l. I, c. vii, § 7. *Vit.*, l. I, c. iv.

Sara virginum sacrum Antistita in monasterio Serythioteo sexaginta annis prope aquam limpissimam habitavit, et nunquam eam aspexit. DREX., l. § 6.

S. Carolus Borromeus licet ad forum frequentissimo populo refertum habitaret, nunquam tamen prospexit. Sed et in villis et hortis amoenissimis tempore sat longo commoratus ne quidem leviter oculo oblectamenta ibi præparata aspiceret voluit. *Vita*.

S. Laurentius Justinianus dicere solitus erat, nullam rem Monachum aspiciere debere in hoc sæculo, quæ desiderium illius teneret: hinc ille nunquam animi remittendi causa in hortum secessit. *Vita*, c. II.

S. Franciscus Seraphicus adeo avertere solebat oculos a feminis, ut, sicut ipse socio dixit, quasi nullam de facie nosset; non enim securum putabat, earum formarum introrsum admittere imagines, quæ possunt aut indomitæ carnis excitare igniculum, aut pudicæ mentis maculare nitorem. *Vita*, c. v.

S. Clara in tota vita nullius masculi fa-

ciem aspexit; immo dicebat, se etiam eum, qui in fluvium eam projiceret, non asperitum. Hinc grandem putabat negligentiam a se commissam, cum semel ad hostiam elevatam oculos convertens virum contra voluntatem aspexisset. Quando domo exibat, illo pallio oculos tegebat, ut non potnerit ejus facies ab aliis videri, nec alii ab illa. *Vita*, p. I, c. II.

Veteres Monachi sic oculos continebant, ut nemo alterum aspiceret operantem, sed defixis luminibus unusquisque suo dumtaxat operi esset intentus. *Vita*, part. I, c. XI.

Hugo Episcopus Gratianopolitanus, quamvis omnino a tentationibus carnis liberrimus erat, tamen per quinquaginta annos, quibus Episcopatum præfuit, nullam unquam mulierem aspexit. S. HIER., in *Præf. reg. S. Pachi*.

De eodem refert Mansi: Mulierum confessiones non minus caute, quam benigne suscipiebat; non enim in angulis, aut obscuris, aut secretis locis eas exaudire solitus erat, sed potius ubi a pluribus conspici posset. Et aurem quidem satis familiariter applicabat, oculorum autem in alteram partem vertebat aspectum, auditum solum, propter insidias diaboli, hujusmodi negotiis assereus esse applicandum; quam videlicet oculorum custodiam incredibili semper, et ubique circumspectione servabat, ita ut cum potentes, et nobiles mulieres (juxta illud Apostoli: Cui honorem honorem) ad colloquium honorifice, hilariterque frequenter susceperet multa coram se, diuque tractantium facies penitus non videret. LANCZ., op. II, n. 213.

S. Andreas Corsinus adeo mulierum aspectum, et colloquia fugiebat, ut ne matri quidem et sororis colloquia sustineret, et propterea frater cæcus, surdus, mutusque appellaretur. LANCZ., op. II, n. 276.

Sanctus Thomas Aquinas etsi divinitus ab omni sensu carnis liberatus, perinde tamen formosorum vultuum aspectum vitabat, atque alii viperas, et scorpiones vitare solent. SURIUS, VII, *Matt.*

Carolus Magnus imperator sæpe fenestram clausit, ne formosiores mulieres prætereuntes aspiceret. DAU., c. VI, t. 44, n. 5.

Rogerus tam sollicitè oculos custodiebat, ut licet in medio populi versans intra tres annos nullius mulieris faciem videret: rogatus causam respondit: Quando homo fa-

cit, quod est in se, et occasiones peccandi fugit, tum vicissim facit Deus, quod est in se et hominem custodit; at quando se temere conjicit in periculum, tum etiam justè a Deo deseritur, et in peccatum labi sinitur. DAU., c. VI, t. 44, n. 6.

Ferdinandus II, Imperator nunquam feminae locutus est solus, sed aula spectante; quod si decoris causa fuit soli loquendum, Imperatricem adesse arbitram colloqui voluit. Agebat ea modestia, ut in colloquentis tunc vultum nunquam intueretur, aiuntque in omni vita nullius feminae vultum ac venustatem considerasse. In *Cent. illust.*, c. III, n. 1.

In historiis Fratrum Minorum D. Francisci narratur, quemdam purissimæ vitæ fratrem nomine Rutgerum, diligentissimum oculorum suorum custodem fuisse, sic ut nunquam in feminas, etiam cognatas, quas alloqui necesse habeat, eas congerit. Unde Pater Spiritualis, qui perspectam ejus conscientiam habebat, eum aliquando percontatus est, quid causæ esset, cur cum tanto pietatis dono præditus esset, tamen vultum averteret a conspectu mulierum honestarum? Et respondit homo Sanctus, et a Deo illuminatus: Pater, inquit, quando homo facit quod in se est, et occasiones peccandi fugit, tum vicissim Deus facit, quod in se est hominem tueri ac custodit. At quando homo se temere conjicit in discrimen, tum etiam justè a Deo deseritur: ac ita fit, ut facile ob naturæ corruptionem in peccatum aliquid grave dilabatur. *Ex l. 2, Conformitatum S. Franc.*, p. II.

Oculis rectè utendum esse hoc exemplo D. Franciscus sedulo suis fratribus inculcabat. Rex quidam præpotens, sed pius successive duos ad Reginam legavit nuncios: quorum prior reversus, et verbis tantum propositis verba reddidit, et de Regina persona plane retulit nihil: siquidem oculos caute tenuerat, ne in Reginae faciem prosilierent. Rediit alter, et post pauca quæ ad legationem pertinebant; « Vere, inquit, Domine Rex, vidi pulcherrimam mulierem, felicem te reputo, cui illa conjux obigerit. » Serve nequam, inquit Rex, vere impudiciam tuam prodis; quid superest, nisi ut concludam, te prospectam impudicis oculis opprimere animo cogitasse. » Priori vero nuncio ascito; « Quid, ait: de Regina: tibi persona videtur? » « Optime » respondit, « nam et patienter me audivit, et sapienter respon-

dit. » « Sed qui de forma et pulchritudine ejus censes? » « Tuum id esto, ait, Rex et videre et judicare, mei munus fuit, verba ejus audire ac referre. » Tum Rex de utroque ferens sententiam, illum palatio expulit, hunc vero a cubiculis constituit. « Ne, inquit, ille thalamum meum polluat, tu vero illum custodias. » Quibus S. Franciscus subjiciebat: « Quis non deberet vereri, in Christi sponsam profanos oculos conjicere. » *Ex Chron. Fr. Min. Gallicæ*, Fr. I, II, c. XIV.

NECESSITAS. — Vidit Eva, et comedit, si-bique et nobis exitum creavit. GEN., III, 6. Videntes filii Dei filias hominum, quod essent pulchræ, in tantam postea luxuriam sunt prolapsi. GEN., VI, 2.

Videns Cham verenda patris sui, maledictionem incurrit. GEN., IX, 25.

Volens Dina videre mulieres alterius regionis, a Sichem conspecta, rapta et corrupta est. GEN., XXXIV, 1.

Vidit David de solario mulierem lavantem, et advocari jubens peccavit cum ea. Aperuit, ut inquit Sanctus Chrysostomus, in vano oculos, et suscepit sagittæ ictum. II *Reg.*, XI. Vel ut S. Augustinus dixit, de longe vidit eam, in qua captus est. Mulier longe, in illo erat unde caderet. S. AUG., in *Ps. LVI*.

S. Benedictus in sæculo semel vidit mulierem, et gravissime in eremo postmodum tentatus est, ideoque in spinas nudum se abjicit. SPEC. EX., *dist. 1*, ex. 20.

Abbas Pastor per quadraginta annos gravem carnis tentationem sustinuit, quia puellam spicas colligentem curiosus conspexerat. *IBID.*, *Dist.*, II, ex. LXVII.

Alipius quia oculos, quos in teatro fortiter continere statuerat, et vero etiam aliquandiu continerat, clamore populi motus aperuit, spectavit, clamavit, exarsit, abstulitque insaniam, qua stimulabatur, non tantum redire cum illis, a quibus ante traheretur, sed etiam præ illis, et alios secum trahere. S. AUG., I, *Conf.*, c. 1.

S. Editha virgo regia post mortem in sepulcro tota incorrupta reperta est, exceptis oculis, pedibus ac manibus, ejus rei ipsamet causam esse dixit, quod illis, cum esset parvula, non nihil ad levitatem abusa sit. NADAST., in *Ann. hebdom. cel. ann. et. hebdom.*, 52, n. 1.

Cornelius a Lapide in illud *Prov.*, VI, « Ne capiariis nutibus illius. » Audivi in Belgio,

inquit, Matrona sapientem et sanctam, momentem Confessarios etiam religiosos et sanctos, ut caveant sibi ab aspectu, et colloquiis feminarum penitentium: « Quia, » inquiebat, « adeo illices sunt oculi earum, ut si in virum quempiam illos defigant, illum plane irretiant. Addebatur: « Certa sum non esse virum adeo gravem et constantem, cui, si fixæ eum recipere per quadrante intuita fuero, non persuaserim, quidquid voluero. » ENG., *dom. 4. Quadr.*, § 5.

Egytius videntes Saram uxorem Abrahæ, quod esset pulchra nimis, nunciaverunt Pharaoni, et sublata est mulier. GEN., XII.

Samson videns mulierem Dalilam de Philisthæis, eam adamavit, quæ tandem fuit causa mortis suæ. JUDIC., XIV.

Senes illi, judices populi, videntes Susannam, exarsunt in concupiscentiam ejus. DANIEL., c. XIII.

UTILITAS. — Oculi casti S. Ludovici Episcopi etiam post quadringentos, et decem annos quasi crystallum lucidissimi reperti sunt, eo quod illi mulierem ad seclis solidantem torve aspexisset. *Spec. ex pist.*, v, ex 79.

PENÆ, NEGLECTÆ OCULORUM CUSTODIÆ. — In vita B. Mariæ de Oegnes legitur, quod cum quædam mulier moretur, revelatum fuit ei, et vidit maximum multitudinem demonum occurrentem, et volentem eam capere, et pugnantem contra bonos Angelos, pro qua impetravit, ut a demonibus liberaretur, et in purgatorio torqueretur, et ostendit ei oranti B. Petrus, quomodo in purgatorio dicta mulier torquebatur, transiens ab equis nivium ad calorem nimium, propter hoc, quod nimis ardens fuit in mundi vanitatibus conspiciendis. BELLOV., in *Spec.*, I, III, s. v, p. 2.

Cæsaricus in Dialogis suis de quodam antiquorum Monachorum, cui juniorum cura commissa erat, sequens enarrat factum, ad juniorum in ordine custodiendis oculis per opportunum, ille enim scribit: cum unum ex adolescentibus secum adduxisset, et simul equitantes, nescio quid, vel unde, conferrent, obviam habuerunt juvenculam formosam, quam, cum ex industria eorum sum retrahendo Præpositus salutasset officiosissime, stetit illa, et resalutavit eum; cum paululum processissent, volens Præpositus tentare juvenem, ait: « Puella illa videbatur mihi multum formosa fuisse, » cui cum ille diceret: « Credite mihi Domine, et hoc